

*Faint handwritten text on the spine, possibly a library or ownership mark.*









DISPUTATIO THEOLOGICA  
De  
**RELIGIOSA**  
ADORATIONE,

*Quam*

AVXILIANTE

D. T. O. M.

In illustri academia Iulia

SUB PRAESIDIO

*Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi viri,*

**Dn. GEORGII CALIXTI S. S.**

Theolog. Doctor. professor. ordinar.

præceptoris, ac fautoris sui æter-  
nùm colendi,

*In maiori novi Iulæi auditorio*

Publico Examini subijcit

**IOHANNES CALE Lubecensis.**

Ad diem 13. Septembris, horis ante  
& pomeridianis.

*HELMÆSTADT,*

Typis heredum Iacobi Lucij, Anno

clō. lo cXXIII.







*Magnifico, Amplissimo, & Consultis-*  
*simo Viro,*

**Dn. IOHANNI Vinhagen Consuli**  
**inclytæ Reipubl. Lubecensis,**

*VT ET*

*Viris*

*Ornatissimis, spectatissimis, prudentia &*  
*longo rerum usu atq; experientia*  
*instructissimis,*

**Dn. HENRICO Dreier/**  
**Dn. HILDEBRANDO Elverfelt/**  
**Dn. HENRICO Latendorff/**  
**Dn. THEODORO Gravenstede/**  
**Civibus Lubecensibus prima-**

**riis**

*Dn. Mecenatibus, parronis, fautoribus, & studiorum*  
*meorum promotoribus maximis summa observan-*  
*tia perpetuò colendis*

**Exercitium hoc Theologicum**

*In grati animi symbolum*  
*inscribo & offero*

**Iohannes Gale Lubecensis**  
**Auth. & Resp.**



THESIS I.



Mnibus hominibus innatum, & animo quasi insculptum dicente Cicerone *lib. 2. de Natur. deor.* esse Deum: lumine enim congenitæ rationis ex operibus id cognoscunt *Rom. 1. v. 19. 20.* non enim absq; testimonio se reliquit, *Act. 14. v. 16.* Illa verò cognitio non fuit absque quodam cultu: Nam mens nostra Deum apprehendere non potest, quin ipsi cultum præstandum esse intelligat.

II. Quemadmodum verò cognitio illa est imperfecta & obscura; ita quoq; cultus qui ab eâ proficiscitur, imperfectus. Hinc *Eph. 2. v. 12.* dicuntur gentiles fuisse sine Deo & *Gal. 4. v. 8. & 1 Thes. 4. s.* ignorantes Deum; nō quod planè omni cognitione Dei fuerint destituti, sed quod non tali quæ sufficeret ad salutem consequendam præditi. Sic quoq; legitimus cultus non exhibuerunt Deo, ut constat, *ex Rom. 1. v. 23. & 25.* Quin unaquæq; gens & civitas pro suo ingenio & placito idolum sibi finxit eiq; divinum cultum exhibuit.

III. Porro sicut perfecta dei cognitio non ex solo rerum naturalium & visibilium aspectu oritur, sed ex verbo dei desumenda, quod præceptum illuminans oculos *Psal. 19. v. 9.* sic cultus perfectus ex verbo discendus; nam qui colit deum quemadmodum ipse præcepit in suo verbo, is demum illi gratus *Rom. 2. v. 13. Matth. 24. v. 46. Luc. 12. v. 47.* Neq; cultus æstimandus ex bonâ intentione: sed solùm secundum dei verbum. Intentio enim citra verbum & mandatum deo placere nequit, quod docet exemplum Saulis, *1. Sam. 15.*

IV. Quum autem non minima cultus divini pars sit



oratio, de eâ, utpote huic tempori accommodâ imo per-  
necessariâ aliquot quæstionibus tractabimus, considera-  
turi I. quid oratio & quoruplex, II. an utilis & necessaria,  
III. ad quem dirigi debeat, & cuius intercessione rectè uti  
possimus. IV. Quænam res petendæ. V. pro quibus o-  
randum & VI. agemus de externis orationis accidenti-  
bus, ut voce, loco, tempore, habitu corporis.

V. Antequam verò definitionem Orationis pona-  
mus, considerandæ fuerint significationes vocabulorum  
orationis, invocationis & adorationis.

VI. Quod attinet vocabulum orationis, generale est,  
ut competat etiam precatiōi, iuramento, voto, gratia-  
rum actioni, celebrationi dei, quemadmodum constat  
ex titulo Psalmi 90, qui est  $\text{הַלְלוּ}$  hoc est, oratio, in qua nō  
tantum precatio est, sed etiam celebratio gratiæ dei, nar-  
ratio fugacitatis humanæ vitæ & miserix, accusatio nostri  
coram deo: Item ex oratione Davidis, *2. Sam. 7. v. 15.* Israe-  
litarum *Nehem. 9. v. 6.*

VII. Invocare generale est verbum, cui respondet  
apud Hebræos  $\text{קָרָא}$  Matthias Flacius *in clauæ scriptura* tri-  
plicem ponit significationem I. Dei opem implorare aut  
orare *Pf. 4. v. 2. Pf. 18. v. 4. Eccl. 7. Pf. 79. v. 6. Pf. 50. v. 15. Ier. 10. v. 25.*  
*Joel. 3. v. 5.* II. concionari aut prædicare deum aut divinam  
doctrinam *Pf. 14. v. 4. Pf. 18. v. 4. Pf. 80. v. 19. Pf. 116. v. 13. Prov.*  
*20. v. 6. Es. 61. v. 2. Ion. 1. v. 2.* III. simpliciter nominare aliquē  
*ut Gen. 1. v. 5. 8. 10. c. 48. v. 16. Deut. 28. v. 10. Iud. 6. v. 32. 1. Reg. 8. v.*  
*43. Es. 4. v. 1. cap. 7. v. 14. c. 48. v. 1. Ier. 23. v. 6. Dan. 9, 18. Amos 9, 12.*

VIII. Superioribus addi possunt quinque signifi-  
cationes aliæ ut I. quando accipitur pro toto cultu dei ut *Gen.*  
*12. v. 8. Es. 64. v. 6.* sic etiam vox Græca *1. Cor. 1. v. 2.* II. pro cla-  
mare & quidem voce significativa, conceptis & expressis  
verbis *ut Es. 6. v. 3. c. 58, v. 1. Gen. 41. v. 43. Iud. 7. v. 3.* III. pro e-  
veni-



venire ut Deut. 31. v. 29. Iob. 4. v. 14. Gen. 42. v. 38. Ier. 13. v. 22.

IV. pro legere Deut. 17. v. 19. c. 31. v. 11. Ios. 8. v. 34. Es. 37. v. 14.

Nehem. 13. v. 1. Habac. 2. v. 2. V. pro invitare ut Exod. 34. v. 15.

1. Sam. 9. v. 13. 22. 1. Reg. 1. v. 9. & 25. Ps. 50. v. 1. & 4. Esther. 5. v. 12.

IX. Vox Adorandi Hebræis אָדוֹרָה Græcis προσκυνεῖν.

Ei Gregorius de Valent: tom. 3. disput. 6. quæst. punct. 1. tres

tribuit significationes. I. sumitur pro cultu civili seu po-

litico qui alicui alteri exhibetur propter præstantiam ali-

quam dignitatis ut Gen. 19. v. 1. c. 23. v. 7. c. 33. v. 3. c. 42. v. 6. Num.

22. v. 31. 1. Reg. 1. v. 16. 2. Reg. 2. v. 15. II. pro toto cultu religioso

qui soli deo exhibetur tum intus submissione cordis tum

foris declaratione operis ut Gen. 24. v. 26. c. 47. v. 31. Exod. 23.

v. 24. c. 24. v. 1. Deut. 4. v. 19. c. 5. v. 9. 1. Sam. 1. v. 3. Ps. 99. v. 5. Matth.

4. v. 10. Luc. 4. v. 8. Iob. 4. v. 20. Act. 8. v. 27. c. 10. v. 25. 1. Cor. 14. v.

25. Apoc. 14. v. 7. c. 19. v. 10. c. 22. v. 8. III. pro externo corpo-

ris actu quo deum supplices & devoti veneramur & ei re-

verentiam exhibemus per genuflexionem &c. Psal. 95. v. 6.

Matth. 2. v. 11. cap. 8. v. 2. Iob. 9. v. 38.

X. Porro alias quoq; oratio habet appellationes. Di-

citur προσευχή hoc est precatio, ab εὐχομαι: dicitur etiam

λιτανεία supplicatio à λίσσομαι, veniam precor, supplex oro.

XI. Periphrases orationis seu invocationis fermè hæ-

sunt: clamare ad dominum 1. Sam. 7. v. 8. Ps. 28. v. 1. Ps. 130. v.

1. levare animam ad deum Ps. 25. v. 1. levare oculos ad do-

minum 2. Paral. 20. v. 12. benedicere domino Ps. 34. v. 1. Psal.

103. v. 1. Iubilare Deo Ps. 66. v. 1. cantare domino Psal. 96. v. 1.

confiteri domino Ps. 105. v. 1. magnificare dominum Luc.

1. v. 46. offerre deo hostias spirituales & fructum labiorum

nostrorum 1. Petr. 2. v. 5. hostiam laudis Ebr. 13. v. 15.

XII. Descriptio orationis talis esse potest ex Damasc.

lib. 3. de orthodox. fide cap. 24: προσευχή ἐστὶν ἀνάστασις ἢ πρὸς

θεόν, ἢ αἴτησις τῶν ἀναγκαίων τῶν ἀπὸ θεοῦ.



XIII. Quum enim oratio duplex sit, civilis & religiosa, & civilis sit quâ ab hominibus aliquid petimus, Religiosa est, in qua sermo & preces ad deum diriguntur.

XIV. Oratio itaq; religiosa & Christiana est cultus Dei verus & legitimus quando videlicet à solo deo tanquam bonorum omnium auctore primo, optimo, sapientissimo & potentissimo secundum voluntatem ipsius instinctu spiritus sancti sive spiritualia sive corporalia bona ex fide per Filium mediatorem petimus.

XV. Addimus ex fide: non enim quævis precatio quocunq; modo concepta est cultus dei verus, sed quæ ex fide fit & ex Dei voluntate *1. Ioh. 5. v. 14.*

XVI. Oratio religiosa dividi potest I. in communem sive publicam; & priyatam. Communis est, quæ ab Ecclesiæ ministro nomine totius fit populi. Particularis est, quæ fit ab unoquoq; nostrum pro se vel alio. II. in mentalem & vocalem. Mentalis quæ solo interno mentis actu fit: per vocalem interior ille mentis actus voce ac verbis exprimitur. Exempla vocalis *Pf. 27. v. 7. Pf. 142. v. 1. mentalis 1. Sam. 1. v. 13.*

XVII. Obiter hic observandum, quod etiam Bellarminus notavit, ne in vocalis descriptione addatur particula Solùm, quemadmodum in mentalis descriptione additur. Quæ enim tantum fit ore & labijs, mente aliò conversâ & rebus alijs intentâ, inutilis est, imò iram dei provocat, *Esai. 29. v. 13.*

XVIII. III. Oratio potest dividi in obsecrationem, orationem peculiariter sic dictam, postulationem & gratiarum actionem iuxta illud *1. Tim. 2. v. 1.*

XIX. Aut dividitur in illam, quam vel fundimus pro nobis, aut pro alijs, aut contra alios. Si pro nobis ratione materiæ est duplex; scil. deprecatio & petitio; illâ rogamus,



mus, ut è periculis nos eripiat & mala à nobis Deus de-  
pellat. Exempla *Pf. 6. v. 2. Pf. 38. v. 2. Pf. 27. v. 9. Psal. 142.* Hac  
petimus ut aliquo novo beneficio nos ornet, nobisq; bo-  
na necessaria largiatur; estq; vel generalis & indetermi-  
na, in quâ non disertis & expressis verbis exprimitur quod  
petitur *ut Pf. 115. v. 1. 2. Pf. 4. v. 2. Pf. 54. v. 2. Iob. 11. v. 21. & 22.* vel  
specialis, quâ certum & determinatum quid exprimitur;  
exempla ubivis occurrunt.

XX. Si pro alijs, est Intercessio qua petimus ut Deus  
ipsis bonum aliquod conferat, aut ab ipsis malum impen-  
dens avertat, *Iob. 17. Pf. 20.* Quæ contra alios est vel querela  
sanctorum apud Deum de hostibus *ut Pf. 3. & 10. 13, 38. Ha-  
bacuc. 1. v. 12.* vel imprecatio sanctorum in hostes, ut Deus  
illos contundat & perdat. *Gen. 9. v. 25. Num. 16. v. 15. Ios. 7. v.  
25. Pf. 5. v. 11. Pf. 125. v. 5. Act. 8. v. 20. 1. Cor. 16. v. 22. Galat. 1. v. 9.  
cap. 5. v. 12.*

XXI. Non incommodè verò hîc quæritur sitne ora-  
tio utilis, aut etiam necessaria. Peccarunt olim in exces-  
su nimium tribuentes orationi Messaliani, dicti quoque  
*ευχηται* propter assiduum precandi laborem, de quibus vi-  
de Epiphaniû *her. 80.* Augustinum *ad Quod vult Deum cap.  
57.* Theodoretum *l. 4. cap. 10;* & ex eo Tripartitam *lib. 7. c. 11.*  
Tantum tribuebant orationi, ut dicerent solam satis esse  
ad salutem consequendam, etiam sine baptismo & Eu-  
charistiâ, quod contrariatur dictis salvatoris *Iohan. 3. v. 5.  
Iohan. 6. v. 53.*

XXII. In defectu peccarunt Prodiciani qui Deum  
orandum esse negarunt, ut de ijs scribit Clemens *Stroma-  
tum septimo;* & Pelagiani, qui quamvis non utilitatem, at-  
tamen necessitatem orationis tollebant docendo, posse  
homines suis viribus bene vivere, servare mandata, grati-  
am



am Dei & gloriam promereri, de his Augustinus *heres. 38.*  
& *epist. 106. ad Paulinum.*

XXIII. Nos verò dicimus orationem cum utilem esse, tum necessariam: quia nobis à deo mandatur, *Psal. 27. 8. Psal. 50. v. 15. Psal. 145. v. 18. Es. 55. v. 6. Matth. 7. v. 7. cap. 11. v. 28. Iacob. 5. v. 13. 1. Tim. 2. v. 1. Colos. 4. v. 2.* & promissione exauditionis confirmatur *Psa. 91. v. 15. Es. 65. v. 24. Matth. 7. v. 7. Ioh. 14. v. 13. 14. Iacob. 5. v. 15.* & alibi: imò comprobatur exemplo Christi, qui in quovis fere opere suo precatur, ut quum transfiguratur, *Luc. 9. v. 29.* quum Apostolos eligit *Luc. 6. v. 12.* quum regnum Dei amplificari & Satanæ ruere videt *Luc. 10. v. 21.*

XXIV. Postquam expositum, quòd oratio & necessaria sit & utilis, secundo loco rectè quæritur, quisnam orare debeat: ubi dicimus, quòd non Deus ipse, quum non habeat se superiorem & ditioem, à quo quid petat: Quapropter impia est illa Thalmudistarum opinio qui docent Deum quotidie certas preces fundere: Item Mahomethi, qui affirmavit, Deum & angelos pro se orare, quemadmodum allegat Bellarminus, *rom. 4. controvers. lib. 1. de bonis operib. in particul. cap. 7.*

XXV. Quod verò dicitur *Rom. 8. v. 26.* Spiritus postulare pro nobis, ita explicat inter alios Lyra, dici postulare, quòd postulare faciat: uti etiam hunc locum *Gen. 22. v. 12.* Nunc cognovi, hoc est cognoscere feci alios.

XXVI. Neq; bestiis & rebus inanimatis oratio competit. Vnde Chryostomus *homil. 2. de orand. Deo,* oratio, ait, te separat à mutis animantibus, quæ neq; fidem neq; spem habent. Illa igitur dicta, quæ id aliquo modo innuere videntur ut *Psal. 104. v. 27. Psal. 145. v. 15. Rom. 8. v. 21. 22.* sunt allegorica & per prosopopæiam prolata, similiter ut illud *Psal. 96. v. 11. & 12.* ubi arbores præ gaudio iu-  
ben-



bentur exclamare. Et sensus est: omnia regi & admini-  
strari providentia dei, & dum naturalj quodam instinctu  
vel rugiendo, vel crocitando, exprimunt famem, ista ani-  
malia à Deo sustentari.

XXVII. Hominibus verò cuiuscunque sint conditi-  
onis, status, sexus, ætatis, fortunæ, privatim orare compe-  
tit: nam publica oratio, quæ publici ministerij pars sit,  
ministris verbi solùm convenit. Manifestum tamen est,  
excipi infantes qui per ætatem id præstare non possunt;  
& furiosos sive mente captos usuque rationis destitu-  
tos.

XXIIX. Est autem precatio necessaria cum iusto &  
pio nullorumque contra conscientiam delictorum sibi  
conscio, ne inducatur in tentationem; tum peccatori, ut  
consequatur remissionem peccatorum. Eam petierunt  
publicanus *Luc. 18.* Zachæus, latro in cruce, Magdalena,  
& alij; & exauditi sunt.

XXIX. Quod verò cæcus natus *Iohan. 9. v. 31.* dicit:  
scimus, scil. ex scriptura, *Esai. 1. v. 15. Prov. 15. v. 29. cap. 28. v.*  
*9. Psal. 66. v. 18.* quòd deus peccatores non exaudit: intel-  
ligendum fuerit de peccatoribus impœnitentibus & in  
peccatis perseverantibus: preces enim quæ ex prophano  
corde proficiscuntur, non penetrant cœlum. Qui verò  
animum perseverandi non habent, phrasi scripturæ poti-  
us dicuntur pœnitentes quàm peccatores dicit Caie-  
tanus *in cap. 9. Iob.* similiter explicat Hugo de S. Caro *in*  
*cap. 9. Iob.* deus peccatores pœnitentes audit, sed peccato-  
res manentes non audit.

XXX. Præterea si textus probè inspiciatur patet quòd  
ille homo de exauditione loquatur, quâ exaudiuntur à  
Deo facturi miracula. Nec obstat exemplum Magorum  
Pharaonis *Exod. 7. v. 22. cap. 8. v. 7.* quum eorum opera non

B

fuc-



fuerint vera miracula; nec quòd *Deut. 13. v. 1.* deus prædicit pseudopphetas signa & portenta edituros: adde *Matthæi. 7. v. 22. 1. Cor. 13. v. 2. 2. Theff. 2. v. 9.* respondetur enim, posse hominem aliàs improbum facere miracula in confirmationem doctrinæ & divini cultus ac nominis à se prædicati, non verò ad personæ suæ sanctitatem & auctoritatem confirmandam. Quæ sententia quoque Lyrani *super h. l.* peccatores, ait, non audit faciendo miracula ad testimonium bonitatis eorum. Servator autem cum doctrinæ tum personæ suæ propriæ dignitatem auctoritatemque miraculis stabilitum ibat, unde *Iohan. 5. v. 26.* opera, quæ ego facio, testantur de me, quòd me pater miserit.

XXXI. Hisce ita expositis, tertio quæritur, ad quem preces dirigi debeant, & quis invocandus sive adorandus. Nos dicimus, quòd solus deus: sive quod idem est, sed distinctius, invocari & adorari debet veneranda Trinitas Pater, filius & spiritus S.

XXXII. Ita distinctè & peculiariter pater invocatur à Christo ipso *Matth. 11. v. 25. Iohan. 17.* à Paulo *2. Cor. 1. Eph. 1. v. 3.* Invocatur filius *Act. 7. v. 59.* Quin Paulus dictum *Esa. 28. v. 16.* accommodat ad Christum *Roman. 10. v. 13.* Spiritus sanctus corpora nostra pro suo templo habere dicitur, *1. Cor. 3. v. 16. cap. 6. v. 19.* Eiusdem autem est invocari cuius est templum habere.

XXXIII. Quod solus Deus invocandus, hoc liquet ex *Deut. 6. v. 13. cap. 10. v. 20. Matth. 4. v. 10. Luc. 4. v. 8.* Imò expressè dicit ipse, se gloriam suam alteri non daturum, *Es. 42. v. 8.* Invocatio verò est cultus ad gloriam spectans divinam. Hinc idola colentes manet confusio, ut pudore afficiantur *Pf. 97. v. 7. Ier. 2. v. 26. 27.*

XXXIV. Sicut itaque nullæ creaturæ neque quæ in cœlo sursum neque quæ in terra deorsum, neque quæ in aquis



aquis cultu divino sunt colendæ, *Exod. 20. v. 4. Deut. 5. v. 8.*  
ita neque sunt invocandæ. Et *Deut. 4. v. 19.* prohibetur  
disertè ne cœlum ipsum vel quæ in eo sunt ut luna, sol,  
aut astra adorentur. Et *Lev. 26. v. 1.* prohibetur ne po-  
nant insignem lapidem in terra ut adorent eum. Habe-  
tur mandatum de lapidando eo qui lunam aut solem a-  
doraverit, *Deut. 17. v. 5.* & Iosia illos delevit qui adolebant  
incensum Baal, soli & lunæ & duodecim signis & omni  
militiæ cœli, *2. Reg. 23. v. 5.*

XXXV. Nec Angelis cultus adorationis aut invoca-  
tionis competere potest. Malis certè minimè; quibus  
tamen à gentibus olim delatus; quin hodieque defertur,  
ut narrant de incolis Narlingæ & Calicuti. Horum haut  
dissimiles Ophitæ, serpentem qui Evam decepit, id est, di-  
abolum, tanquam nostræ salutis autorem colentes, ut te-  
statur Tertullianus *in. lib. de præscript. adv. heret.* Meminit  
scriptura eorum qui immolarunt dæmonibus liberos *Ps.*  
*106. v. 37.* Quæ omnia non modò extremè absurda, sed hor-  
renda etiam sunt.

XXXVI. Neque verò boni fuerint invocandi. Pau-  
lus enim *θησοκείαν τῶν ἀγγέλων* rejicit *Col. 2. v. 18.* Adde Conci-  
lij Laodicensi canonem 35. Merito igitur damnantur Si-  
moniani qui angelos adorarunt; item Angelici de quibus  
vide Tertul. *lib. de præscript. adv. heret.* & August. *de heres.*  
*cap. 39.*

XXXVII. Quod verò dicitur nulli creaturæ cultum  
divinum sive adorationem esse præstandam sic intelli-  
gendum, ut non excludatur humana Christi natura, quip-  
pe quæ ratione communicatæ maiestatis etiam hoc ac-  
cepit, ut in nomine Iesu flecteretur omne genu cœlesti-  
um, terrestrium & inferorum, cum exaltarit eum Deus &  
donaverit ei nomen super omne nomen *Phil. 2. v. 9. 10.*



XXXIIX. Neque quispiam putet nos statuere separa-  
tim aut seorsim carnem Christi esse adorandam, sed illud  
intelligimus de toto Christo indiviso, de qua Christi ado-  
ratione & cultu Cyrillus synodusq; Ephesina canon. 8. in  
hunc modum statuit: *si quis audeat dicere assumptum homi-  
nem coadorandum Deo verbo, ac non potius una adoratione ve-  
neratur Immanuelem, unamq; glorificationem ei dependit, secun-  
dum quod verbum caro factum est, anathema sit.* Et Syno-  
dus Oecumenica V. can. 9. *si quis adorari in duabus naturis  
Christum dicit, ut dua adorationes introducantur, semotim Dei  
verbo, & semotim homini, & non una adoratione Deum verbum  
incarnatum cum eius carne adorat, iuxta quod sancta Dei Eccle-  
sia ab initio traditum est, talis anathema sit.*

XXXIX. Quid de ijs, qui mortuos invocant, statuen-  
dum, mox subiiciemus, ubi egerimus de quaestione, cuius  
intercessione seu cuius nomine orandum.

XL. Intercessorem verò unicum, tanquam nostrum  
mediatorem agnoscimus, iuxta illud *1. Tim. 2. v. 5:* ubi di-  
citur unus mediator non quòd præcipuus, ut quidam vo-  
lunt; sed eodem modo, quo dicitur unus Deus. Et ne-  
mo venit ad patrem, nisi per Christum *Iohan. 14. v. 6.* ille  
enim placamentum in sanguine suo apud Deum *Rom. 3. v.  
25.* ille propitiatio pro peccatis nostris, *1. Ioh. 2. v. 2.*

XLI. Reijcimus igitur Pontificiorum de intercessio-  
ne sanctorum seu mortuorum dogma, tanquam figmen-  
tum humanum. Quomodo id autem fuerit enatum, &  
quomodo creverit, eius rei historicam narrationem, qui  
volet, apud Chemnicium videat *in Examine Tridentini  
concilij.*

XLII. Loquimur autem de sanctis defunctis, qui non  
amplius militantis sed triumphantis Ecclesiae sunt mem-  
bra. Qui enim sunt membra militantis Ecclesiae, com-  
pel-



pellari possunt, ut nostrâ causâ Deum orent. : nam illi audiunt & intelligunt, quid nobis velimus, & vident nostras calamitates. Nitimur quinetiam præcepto apostolico, *1. Tim. 2. v. 1. Iac. 1. v. 16. Rom. 15. v. 30. Ephes. 6. v. 29. Colos. 4. v. 3. 1. Thess. 5. v. 25. 2. Thess. 3. v. 1. Ebr. 13. v. 18.* promissionibus, *Gen. 20. v. 7. Iob. 42. v. 8. Exemplo, 1. Sam. 7. v. 9.*

XLIII. Si itaque ob nullam aliam, certè ob eam causam reiicienda sanctorum invocatio, quòd nostras preces non intelligant, ut colligi potest ex *2. Reg. 22. v. 20.* Inde enim patet sanctos defunctos non nosse in specie quæ in terris gerantur. Quod etiam probatur ex Iure Canonico, *caus. 13. quest. 2. c. 29. Fatendum est: ubi dicitur quod nesciant mortui quid hic à vivis agatur.*

XLIV. Bellarminus sanè *tom. 2. controu. lib. 1. de sanct. beatit. cap. 16.* dicit sanctos cognoscere nostras preces non ut sunt in mentibus nostris, sed ut sunt in Deo, quem vident & qui eas ipsis ostendit. Sed id totum gratis dicitur, & sine ullâ vel scripturâ vel ratione.

XLV. Neque illos iuvat distinctio inter *δσλείων* & *λατρείων* quam adferunt. Bellarminus quidem *lib. 1. de sanct. beatit. cap. 14.* concedit, quòd secundum usum profanorû scriptorum idem sint: sed in scriptura idem esse negat. Interea verò non responder ad argumentum quod ipse ex Bezae *annot.* producit, ubi *Levit. 23. v. 20.* opus servile non facietis LXX. reddidere *ἔργον λατρευτον;* & *Rom. 7. v. 6.* ut serviamus in novitate spiritus, ubi *δσλέυειν:* Et sic latria de opere etiam in usum hominis, & dulia de cultu dei dicitur. Confer etiam *Matth. 4. v. 10.* ubi *λατρεύειν* & *Matth. 6. v. 24.* *Gal. 4. v. 8, 1. Thess. 1. v. 9* ubi *δσλέυειν.*

XLVI. Ex eo tamen, quòd cum Pontificijs sanctos loco intercessorum non habemus, minimè sequitur, quòd illos despiciamus siue contemnamus vt conqueri



solent Pontificij. Iphis enim triplex honos à nobis defer-  
tur: Videatur Formula Concordiæ *in art. 21. de invocat.  
sanctor.* Et Augustana Confessio *artic. 21.* qui loquitur de  
cultu sanctorum in hunc modum: *Docent* (scil. nostræ  
Ecclesiæ) *quod memoria sanctorum proponi potest ut imitemur  
fidē eorum & bona opera iuxta vocationem, ut Caesar potest imi-  
tari exemplum Davidis in bello gerendo ad depellendos Turcas à  
patriâ: nam uterq; Rex est.*

XLVII. Quum constet per quem Mediatorem &  
ob cuius merita & intercessionem sit orandum, porrò  
quæritur, quanam res à Deo sint petendæ. Respondemus  
autem, omnia nobis necessaria cum temporalia, tum spi-  
ritualia petenda esse. Et servator quidem ipse formulam  
precandi, qua comprehenduntur utraq;, proposuit *Matt.  
6.* Olim Socrates Philosophus inter gentiles summus, ut  
refert Valerius Maximus *lib. 7. cap. 2.* propter humani con-  
siliij inopiam nihil ultra petendum à Dijs suis arbitraba-  
tur, nisi ut bona largirentur.

XLIIII. Id verò certum est, temporalia & æterna  
bona uno eodemq; modo petenda non esse, sed ut Tho-  
mas *2. 2dæ. quest. 83. artic. 15.* docet ea determinatè & sine  
ulla annexa conditione possumus petere, quibus nemo  
malè uti potest, quæq; malum eventum habere non pos-  
sunt, ut sunt quibus beatificamur. Exempla *Psal. 80. v. ult.  
& 119. v. 27:* terrena verò & temporalia semper cum ad-  
ditâ conditione.

XLIX. Ex eo autem, quod dictum supra in oratione  
dominicâ comprehendi omnia petenda, spiritualia &  
temporalia, nemo colligat, quasi eâ de causâ nulla alia  
possit esse oratio nisi quæ totidem verbis constet; quum  
aliter factum ab apostolis *Act. 4. v. 24.* & Christo *Matth. 11.  
v. 25.* Quare errarunt Bogomiles qui putabant omnes a-  
lias



lias orationes præter dominicam esse rejiciendas ut refert  
Euthymius in *Panoplia titul. 23. part. 2.*

L. Quæ verò à Deo peti possunt, non solum pro nobis ipsis, sed pro aliis quoq; , quos ex mandato charitatis tenemur diligere peti possunt. Orandū igitur pro quovis genere hominum, *1. Tim. 2. v. 1.* Ministri sanè verbi precari debent pro Ecclesia, *Eph. 1. v. 17. c. 3. v. 14.* etiam pro ijs à quibus læsi, exemplo Stephani *Act. 7. v. 60.* Ecclesia vicissim pro ministro verbi *Act. 12. v. 5.* Magistratus pro subditis *1. Paral. 29. v. 18. Psal. 3. v. ult.* etiam peccantibus & rebellibus ut Moses *Exod. 32. v. 11.* subditi pro Magistratu *Psal. 20.*

LI. Pro ægrotis orare iubet Iacobus *cap. 5. v. 14.* pro hostibus & inimicis Christus *Math. 5. v. 44.* qui etiam ipse pro ijs à quibus crucifigebatur, oravit *Luc. 24. v. 34.* Adde *Rom. 12. v. 14.* Hostes verò sunt, qui vel religionem nostram oppugnant, vel bonis temporalibus, patriâ, libertate, de- jicere nos moliantur. Pro utrisq; est precandum: pro hæ- reticis quidem, ut ad sanam mentem & fidem convertan- tur. Et pro alteris itidem orandum esse, docemur *Matt. 5. v. 44.* & probat David suo exemplo *Psal. 35. v. 12.*

LII. Pro infidelibus & excommunicatis etiam oran- dum, quum aberrantes juxta præceptum Iacobi sint in vi- am reducendi *cap. 5. v. 19. 20.* nec excommunicatio ad sub- versionem sed ad ædificationem instituta, *1. Cor. 5. v. 5.* Se- cundâ quidem parte decreti *caus. 11. quest. 3. ex concil. Car- thag. 4.* habetur canon, *Qui communicaverit:* quo statui- tur, ut qui communicaverit vel oraverit cum excommu- nicato, si laicus, quòd sit excommunicandus; si clericus, deponendus: sed canon intelligendus in hunc sensum, quòd cum excommunicatis communicatio in sacris & precibus publicis non sit habenda: minimè verò, quasi pro illis nullo modo liceat orare.

53. Scri-



LIII. Scriptura autem excipit quosdam, pro quibus nequaquam precandum, nempe eos qui peccant in Spiritum sanctum, quoniam id peccatum est ad mortem pro quo non vult Deus ut precemur *1. Ioh. 5. v. 16.*

LIV. Ubi & hoc probè notandum, quando dicimus pro omnibus hominibus esse orandum, nos illud intelligere de vivis non verò de mortuis. Orationis enim pro mortuis nec mandatum, nec exemplum, nec eam concernens ulla promissio in scripturis.

LV. Hisce consideratis quæritur de modo precandi: an sufficiat solus animi affectus ad bene precandum, an verò semper voce articulata & clara utendum sit. Nos cum Thoma *2. secund. quest. 83. art. 12.* dicimus, quòd oratio quæ privatim instituitur, indifferenter sese habeat, ita ut possit vel voce vel mente exprimi, prout placuerit: utriusq; exempla in scripturis extant. Vocalis *Psal. 17. v. 1. 141. v. 1. Eccles. 39. v. 20. Matth. 26. v. 39. Luc. 24. v. 53. Act. 7. v. 59.* Mentalis *Pf. 104. v. 1. 1. Sam. 1. v. 13.* Publica verò semper vocalis esse debet, ut populus, & auditores quorum nomine concipitur à ministro Ecclesiæ, respondeant Amen *1. Cor. 14. v. 16.*

LVI. Præterea & hoc requiritur, ut vocalis oratio instituat linguâ notâ; publica quidem sermone vernaculo qui ab idiotis & omnibus adstantibus intelligatur, privata autem si non vernaculo, eo tamen idiomate, quod ipsi precanti notum sit. Improbamus itaq; Pontificios, qui asserunt solennes & publicas Ecclesiæ preces posse fieri linguâ Latinâ ab iis etiam & ad eos, qui non intelligunt linguam Latinam.

LVII. De loco precationis duo quæri possunt. I. Ubi orandum sit. II. versus quam plagam seu partem mundi. De priori dicimus quod in V. T. quidem fuerit certus locus,

CUS,



cus, uti patet ex *Iohan. 4. v. 20.* Id tamen intelligendum de precibus solennibus conjunctis cum publico sacerdotii ministerio; aliàs alibi quoq; orarunt ut tres in fornace *Dan. 3.* Ionas in ventre piscis *cap. 2.* In N. T. verò omne locorum discrimen sublatum est ut colligitur ex *Ioh. 4. v. 21. 1. Timot. 2. v. 8.* Sanè Apostoli orarunt in domibus privatis *Act. 4.* Paulus in littore maris *Act. 20. v. 36.* Christus in monte *Matth. 24. v. 23. Marc. 6. v. 46.* in deserto *Marc. 1. v. 30.* in horto *Matth. 26. v. 36.* Quod verò est *Matth. 6. v. 6.* non absolute intelligendum quasi in publico orare non liceat, sed quòd satius sit in conclavi privatim orare, quàm ostentationis gratia in præsentia multorum.

LIIIX. Meritò itaque rejicitur error Eustachij & sequacium, docentium non esse orandum in domibus conjugatorum. Natus autem hic error ex alio errore, quòd coniugium profanum existimarent. Vide concilium Gangrense.

LIX. De plagâ mundi versus quam precandum facilis responsio; Thomas *1. secund. quest. 102. art. 40.* dicit quod in lege adoratio fuit introducta versus occidentem ad excludendam idololatriam: nam omnes gentiles, in reverentiam solis, adorabant ad orientem. Vide *Ezech. 8. v. 16.* Unde, ad hoc excludendum, tabernaculum habebat sanctû sanctorum ad occidentem, ut eo versus adorarent.

LX. Damascenus *lib. 4. de fide orthodox. cap. 13.* refert ex traditione Apostolicâ, moris fuisse versus orientem orare, cum propter alias rationes, tum quia inde dominus venturus expectetur. Eandem probat sententiam Thomas *2. 2da quest. 84. art. 3.* ubi alias etiam addidit rationes. *Que orientem versus nos orare literarum forma docuit?* citatur ex Basilio apud Gratianum *distinçt. 11. c. 5.* Nempe ut vult Damascenus loco iam allegato, ἀρχαὶ εἰν ἡ ἀγάδοσις αὐτῆ τῶν ἀποστόλων.

C

61. Non



LXI. Nonnulli collegerunt ex loco *Cantic. 1. v. 7. Vbi iaces? ubi cubas? in meridie.* orandum esse meridiem versus. Imò scribit Augustinus *in Ioh. Euang. tract. 10.* quosdam suo seculo versus mare superstitiosè orasse.

LXII. Nos dicimus non magis gratas Deo esse preces quæ fiunt ad orientem, quàm quæ versus occidentem, vel meridiem vel septentrionem. Neque enim regio, vel locus, ad quem conversi precamur, preces nostras Deo commendat.

LXIII. Paucis subiungemus de Tempore, quo orandum. Dicimus *ex Luc. 18. v. 1. cap. 21. v. 36. cap. 11. v. 8. Ephes. 6. v. 18. Colos. 4. v. 2.* quòd semper sit orandum, semper enim & quotidie mala multa nobis imminent. Vel ergo metus periculorum ab orando nullum immune esse tempus patitur. Sive itaque quidpiam aggrediamur, sive continuemus, sive absolverimus, Deus est invocandus & illi gratiæ agenda *Col. 3. v. 17. Iac. 5. v. 1. 1. Cor. 20. v. 31* sive edimus sive bibimus orandum, *Psal. 55. v. 13. 1. Tim. 4. v. 5.*

LXIV. Quod verò dicitur, semper orandum, non ita intelligendum, quasi tantùm orandum, & nihil aliud agendum, prætextuq; precationis labores vocationis negligendi; qualem Messalianorum sive Euchetarum errorem diximus fuisse.

LXV. Id verò scriptura sibi vult, quòd in quacunq; necessitate sit precandum, seu ut explicat Caietanus *super cap. 18. Lucae*, non notatur continuum orandi exercitium, hoc enim impossibile: sed horis omnibus congruis absque ulla pigritia necessitas orandi significatur.

LXVI. De situ corporis Augustinus *lib. 2. variar. quest. ad Simplician. quest. 4.* dicit, Non esse præscriptum Dei verbo, quomodo corpus constituatur ad orandum, dummodo animus Deo præsens peragat suam intentionem.

Per



Perinde ergo est sive quis stet, ut *1. Reg. 8, 22. Iob. 11, v. 41. Luc. 18, v. 11.* sive iaceat in lecto *Psal. 6, v. 7. 2. Reg. 20, v. 2. 3. Matth. 9, v. 2.* sive in eo sedeat. ut *Gen. 48, v. 2.* sive procidat in terram *Marc. 14, v. 35. Matth. 26, v. 39. 1. Reg. 18, v. 42. Psal. 95, v. 6.* positus genibus *Luc. 22, v. 41. Act. 7. & 9. cap. 20, v. 36. Marc. 1, v. 40.* oculis in coelum elevatis *Matth. 14, v. 19. Iob. 11, v. 41. cap. 17, v. 1.*

LXVII. Non itaque magni momenti quòd usu receptum olim, uti memoratur *distinct. 30. can. si quis presbyter,* ne quis orans se prosterneret à die Paschæ ad diem Pêtecostes, sed erecto vultu fungeretur officio orationis, quia in his diebus gaudium resurrectionis domini celebratur. Vide quoque *de consecr. distinct. 3. c. 10. Quoniam.*

LXIX. Addamus de manuum lotionem. Scribit Apostolus *1. Tim. 2, v. 8. Volo orare viros in omni loco, levantes puras manus.* Rectè autem in hæc verba Chrysostomus: *Puras dicit manus, id est, mundas, non aquâ lotas, verùm à cupiditate, rapinâ, cædibus mundas, absq; irâ & disceptatione.* Et Tertullianus *libro de Oratione,* quo post expositam orationem dominicam de modo & ritibus orandi subiungit: *Quæ ratio est, inquit, manibus quidem ablutis, spiritu verò sordente orationem obire? quando & ipsis manibus spirituales munditiæ sint necessaria, ut à falso, à cæde, à sevitia, à veneficijs, ab idololatriâ, cæterisq; maculis, quæ spiritu concepta manuum operâ transiguntur, pura alleventur. Hæ sunt vera munditiæ, non quas pleriq; superstiosè curant, ad omnem orationem etiam cum lavacro totius corporis aquam sumentes. Paullò post id ipsum dicit vacua esse observationis; & addit nonnulla alia, quæ, ut ipse loquitur, non religioni sed superstitioni deputantur, affectata & coacta, & curiosi potius, quàm rationalis officij: nempe quòd alij soleant positus penulis orationem facere; alij adsignatâ sive transactâ oratione assidere.* Atqui, inquit, cum





modestia & humilitate adorantes magis commendamus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, sed temperate ac probe elatis. Ne vultu quidem in audaciam erecto. Nam ille publicanus, qui non tantum prece, sed & vultu humiliatus atq; deiectus orabat, iustificatior Phariseo procacissimo discessit. Cyprianus in libro eiusdem inscriptionis & argumenti: Publicanus non allevatis in caelum impudenter oculis, nec manibus insolenter erectis, sed pectus suam pulsans, & peccata intus inclusa contestans divina misericordia implorabat auxilium. In eo autem libro Tertullianum Cyprianus imitatus est, & verba quoq; interdum transcripsit.

LXIX. Ad exemplum vero publicani fideles cum tunctione pectoris peccata Deo confiteri & veniam eorum precari consueverunt. Id intelligitur ex Augustini sermone II. de verbis Domini, & XLIX. de tempore, & III. de diversis. Quum populus, quodcumque verbum Confiteor audiebat, pectora tunderet, nec sicubi non confessionem peccati, sed laudes & gratiarum actionem significat, animadvertet aut distingueret; idcirco hoc ipsum explicandi Augustino necessitas imposita. Loco, quem postremum citavimus, Confessio, ait, aut laudantis est, aut penitentis. Sunt enim parum eruditi, qui quum audierint confessionem in Scripturis, tanquam nisi peccatorum esse non possit, continuo tudent pectora, veluti iam moneantur confiteri peccata. Locis duobus prioribus utrobique eadem sunt verba, ista videlicet: Non semper quum in Scripturis legimus confessionem, debemus intelligere vocem peccatoris. Maxime autem hoc dicendum fuit, & hinc admonenda charitas vestra: quia mox ut hoc verbum sonuit vox lectoris, secutus est etiam sonus tunctionis pectoris vestri, audito scilicet quod Dominus ait, confiteor tibi pater. In hoc ipso quod sonuit confiteor, pectora tuidistis. Tundere autem pectus quid est, nisi arguere quod



quod later in pectore, & evidenti pulsu occultum castigare peccatum? Quare hoc fecistis, nisi quia audistis, confiteor tibi pater? confiteor audistis; qui confiretur, non attendistis.

L X X. Notatu etiam sunt digna, quæ idem habet Tertullianus Apologetici capite trigesimo. *Illuc, in cœlum videlicet, & ad Deum, suspicientes Christiani manibus expansis, (ita in libro de oratione, quem modò citabamus: non attollimus tantùm, sed etiam expandimus manus) quia innocui; capite nudo, quia non erubescimus; deniq; sine monitore, quia de pectore oramus, precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus &c.*

L X X I. Porro sub finem libri de Oratione osculum pacis memorat, quod est, inquit, signaculum orationis. Sanè Apostolus Rom. 16, 16. *Salutate, ait, alij alios, osculo sancto.* Eadem verba 1. Cor. 16, 20. 2. Cor. 13, 12. 1. Theff. 5, 25. Nempe hæc erat eo tempore orientis consuetudo, ut mutuis se osculis salutarent, quibus benè inter se conveniebat, aut qui amore vel veneratione se mutuò prosequerentur. Inprimis Persæ osculo dimittere & prosequi abeuntes cognatos, eosq; reversos osculo solebant excipere, ut constat ex primo Cyropædias Xenophontis. Quin etiam reges osculum quandoq; dabant ijs quos honore affectos volebant. Ita osculatus est Darius Zorobabelem, apud Iosephum *Ἀρχαιολογία*. lib. II. c. 2. & 3. Hezræ, c. 4. v. 47. Non absimilis mos Hebræis. Ioseph osculatur omnes fratres suos, *Gen. 45, 15.* Aharon fratrem suum Moysen, *Ex. 4, 27.* Moyses socerum suum, *Ex. 18, 7.* David octuagenarium Barzellai, *2. Sam. 19, 39.* Ioab Amasam, *2. Sam. 20, 9.* Iudas Servatorem, *Matth. 26, 48.* Ab Hebræis mos iste ad Christianos transivit. primi enim Christiani erant Iudæi: Vocat aut Paulus *osculum Sanctum*, quòd proficisci debeat ab animo sanctæ illius caritatis pleno. Vnde etiam Petrus



1. Epist. c. 5. v. 14. *Salutate alij alios osculo caritatis.* Origenes in epistolam ad Romanos, & verba superius adducta commentans, *Ex hoc, inquit, sermone & aliis nonnullis similibus mos ecclesia traditus est, ut post orationes osculo se invicem excipiant fratres.* Iustinus Apologiâ posteriore: *A precibus finitis, nos invicem mutuis osculis salutamus.* Cyrillus Hierosolymitanus catechesi mystagogicâ quintâ: *Clamat Diaconus: Complectamini & osculemini vos invicem; atq; tunc mutuo nos osculo salutamus.* Manifestum igitur, à gentibus, quibus osculum caritatis & concordia familiaris ac quotidianum symbolum, morem osculum dandi in ecclesiam manasse. Quibus autem gentibus ita id familiare non fuerit, liberè omittunt.

LXXII. Tandem operæ videtur precium è Chrysostomi ad populum Antiochenum homiliâ LXXIX. quæ de Oratione est, nonnulla hîc transcribere, ex interpretatione Bernhardi Brixiani. *Si corpore humi prostrati, & ore in cassum nugante, mens totam domum & forum circumbeat, quomodo is dici poterit, quod in conspectu Dei precatus sit? nam orat in Dei conspectu, qui totam colligit animam suam, nihil habens commune cum terrâ, sed se in ipsum transferens cælum, & omnem humanam ex animo pellens cogitationem.* Paullò post: *Oportet orantem sermones non longos extendere, & iugiter orare. Breves enim & frequentes orationes Christus & Paulus fieri praeceperunt ex parvis intervallis. Nam si sermonem in longum extenderis, in negligentiam frequenter lapsus, multam diabolo subrependi facultatem dederis, & supplantandi, & abducendi cogitationem ab his, quæ dicuntur. Si verò continuas & crebras orationes facias, totumq; tempus interpoles frequentia, facile modestiam exhibere poteris, & ipsas orationes cum multa facies solertiâ. Item: Non tam voce opus est, quàm cogitatione; nec tam extensione manuum, quàm intentione animi.*

neq;



neq; figurâ, sed intellectu. Et: Vbicunq; fueris, ibi potes altare  
tuum constituere. Nihil enim locus prohibet, nec impedit  
tempus. Et licet genua non flectas, neq; percutias pectus, neq;  
manus in cælum extendas, si mentem tantum ferventem exhibe-  
as, orationis perfectionem consummaveris. Ista ibi Chryso-  
stomus; quæ ut hîc quoq; legerentur, digna judicavi-  
mus.

LXVIII. Quæ tamen idem magnus doctor de publicis  
precibus post aliqua subjungit, itidem nos addamus. Ma-  
gna vis, inquit, est orationis in ecclesiâ concorditer à populo ob-  
lata. Nam quum inter homines, populo fontes viros, quando ad  
mortem trahuntur, petente, rex multitudine motus sententiam  
mutet: multò magis Rex cælestis à vobis placatus petita concedet.  
Item: Et domi quidem orari potest, sic autem, ut in ecclesiâ non  
potest; ubi tanta patrum multitudo, ubi clamor ad Deum unani-  
miter emittitur. Non ita Dominum per te solum orans, audiê-  
ris, ut cum fratribus tuis. Hîc enim maius aliquid est, puta, u-  
nanimitas & consonantia, charitatisq; vinculum, & sacerdo-  
tum orationes. In eandem sententiam Tertullianus Apo-  
logetici cap. XXXIX. Coimus, ait, in cætum & congregatio-  
nem, ut ad Deum quasi manu factâ preceationibus, ambiamus  
orantes. Hæc vis Deo grata est. Cui sit honor  
& gloria in seculorum se-  
cula.

F I N I S.









D1 A 6520

ULB Halle

3

002 937 220



VD 17






Autent. Thes.  
Volum. 11

Alia Thes.  
larum, C.







14. No

DISPUTATIO THEOLOGICA  
*De*  
**RELIGIOSA**  
ADORATIONE,

*Quam*

*AVXILIANTE*

*D. T. O. M.*

In illustri academia Iulia

*SUB PRAESIDIO*

*Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi viri,*

**Dn. GEORGII CALIXTI S. S.**

Theolog. Doctor. professor. ordinar.

praeceptoris, ac fautoris sui æter-  
num colendi,

*In maiori novi Iulæi auditorio*

Publico Examini subijcit

**IOHANNES CALE Lubecensis.**

Ad diem 13. Septembris, horis ante  
& pomeridianis.

*HELMÆSTAD I,*

Typis heredum Iacobi Lucij, Anno

clō lo cXXIII.